Disputationis hujusce, paginæ triginta et duæ priores, ad capita male designantur; eaque de causa, verba "DYSENTERIA COMPLECTENS" eradenda, verbaque "DE DYSENTERIA," legenda sunt.

10

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUÆDAM

DE

DYSENTERIA COMPLECTENS.

Auctore Jacobo Hosack, Chirur.

PROŒMIUM.

INTER morbos qui corpus humanum tentant, illi quibus intestina obnoxia veniunt, attentionem medici summam jure optimo sibi vindicant. Consensu etenim inter canalem intestinalem partesque corporis alias, interventu nervorum, rite perpenso, affectus tubi illius morbosos, corpus totum prorsùs promptiùsque perturbaturos, mirum nobis videri non debet.

Quinetiam, vasa permulta sanguinem vehentia, in tunicas intestinorum catervatìm distributa, et munerum eorum magnitudinem, sanè

arguunt, et ea morbis obnoxiora, proçul dubio reddunt.

Si quidem intestinorum fabricam, materiamque diversi generis acrem, superficiei eorum internæ assiduè applicatam, in animo ritè habeamus, immunitas morborum, quâ sæpiùs gaudent, mentes nostras in admiratione jure defigit. Superficies veruntamem eorum interna, rebus hisce acribus objecta, ne inermis quidem existit; mucus etenim opipàre sanè et paratè secretus, ab injuriis quibus canalis alementarius obnoxius necessariè evadit, plerisque in exemplis facile cavet, succusque hicce superficiei intestinorum, ita obductus, pro viribus materiæ acris stimulantibus, quantitate augeatur, ni fallor, oportet.

Verumenimvero, morbi diversi intestina reverà obsident; morbosque inter hos, dysenteria sane eminet, quippe quæ, periculo plena, epidemicè utpotè grassans, exitium laborantibus sæpissimè afferat; belloque nuper longè latèque in utroque hemispherio ardente, exercitibus nostris strages cladesque horribiles dederit. Quin et, est quod timeam, ne et hic et alii morbi in eos iterum sæviant: "*Bella*" etenim, "*horrida bella*," nuper felicissimè confecta, pro

dolor, redintegrantur, tubæ bellica canunt, iraque Principum, haud secus ac olim ira Achillis, "*multas fortes heroum animas orco ante diem* "*rursus mittet.*"*

Rebus ita sese habentibus, legibusque Academiæ almæ hujusce jure celeberrimæ, summos in medicina honores privilegiaque ambientes, rem medicam aliquam tentare jubentibus, pauca de hoc morbo, mihi morem, statutis collegii solennibus, ne invitè quidem; at certè eâ quâ par est diffidentiâ ritè gesturo, animus est disserere, typosque morbi diversos, qui mihi in regionibus cœlisque diversis, annos haud paucos militanti ante oculos iterum iterumque versabantur in lucem edere.

Morbo huicce δυσεντερια *difficultas* videlicet *intestinorum* apud Græcos nomen inditum est: Hinc ratio patet, quare, medici Romani, *Dysenteriam; Tormina,* sive *intestinorum difficultatem* eum appellavere. Marcus Aikenside, M. D. medicus expertus, poetaque eximius, in opusculo ejus *de dysenteria* ei nomen *rheumatismum intestinorum* imposuit.

---

* Vid. Hom. Iliad. Lib. i. sub. init.

DEFINITIO MORBI.

HIPPOCRATES medicorum omnium et pater, et facile princeps. *Dysenteriam* perperam (manibus senis spectatissimi pace) verbis sequentibus descripsit "*dysenteria sine dolore.*"*

Galenus in Hippocratem commentator acutissimus morbum de quo verba facere nobis animus est modo sequente definiit.

"*Dysenteria est exulceratio intestinorum post*
"*inflammationem, atque excretionem materiæ*
"*sanguineolentæ vel fæculentæ, vel etiam sor-*
"*dium cum torminibus, et dolore ventriculi et*
"*intestinorum.*"†

Definitionem hancce et Aretæus‡ et Alexander Trallius,|| secuti sunt, quibus medici

* Vid. Epidem. Sect. 2.

† Vid Gal. In definit. Med. p. 263. Confer. etiam ad Hipp. Lib. de Affect. xxv. et Lib. de Diæta xix. 14, 15. seq. Junge etiam Linden. Ex. xvi. sect. 34, 35.

‡ Vid. Aretæ. Cappad. De Caus. et Sign. Morb. Diutur. Lib. ii. cap. ix.

|| Lib. x. cap. 1.

haud pauci, Paulus Agineta,* videlicet, Cœlius Aurelianus,† Nicolaus Piso,‡ Willisius,‖ Sylvius de la Boe,¶ et alii assentiunt.

Medicos hosce omnes antiquiores, intestinorum exulcerationem inter signa dysenteriæ pathognomica sempèr habuisse, facilè patet. Alitèr veruntamen quibusdam aliis visum est;

---

* Lib. iii. cap. 42. † Lib. iv. cap. 6.

‡ Piso verbis hisce utitur. "*Dysenteria propriè dicta* "*exulceratio est intestinorum, dejectiones ramentosas, et dolori*-"*ficas inducens.*" De Cognos. et Curand. Morb. Lib. iii. cap. 15.

‖ "*Dysenteria est excretio alvi frequens, cruenta, strig*-"*mentosa, aut purulenta, interdum et aquea, vel lymphatica,* "*cum dolore ventris, superveniente tenesmo, virium prostra*-"*tione, aliisque symptomatibus, proveniens ab interna intesti*-"*norum exulceratione et vasculorum corrosione, per et propter* "*acrimoniam humoris sanguinis, bilis, succi pancreatici,* "*liquoris lymphatici ob orta, febrem magis, vel minus malig*-"*nam conjunctam habente.*" Vid. Willis Pharmac. Rat. Part. 1. sect. iii. cap. iii. de Febrib. et etiam cap. x.

¶ Vid. Op. Sylv. de la Boe, Lib. i. cap. II, sect. 12. et *sequent.*

iisque judicibus, etiamsi intestina in dysenteria ulceribus sæpissimè obsideri fatendum est, cadaveribus hoc morbo defunctorum ritè inspectis, exulcerationes ejusmodi, ne sempèr quidem in conspectum veniunt. Intestina quidem hoc morbo laborantûm, tametsi sæpissimè, nequaquam sempèr ulcerationibus implicari, signis, quæ Barbettius, Bartholinus, et Morgagnius, in commentariis retulerunt ritè seduloque perpensis, promptiùs adducor ut credam.

Quin et, fac dysentericorum intestina semper exulcerentur; ulcera veruntamen hæcce, ægrotos inter morbi initia minimè tentant; at potiùs malo ingravescenti superveniunt, ideoque ad morbum definiendum parum valent.

Quod ad dysenteriæ definitiones, scriptoribus medicis recentioribus, in lucem editas, quidem pertinet, in quasdam insigniores brevitèr animadvertere, et lubet et forsan juvabit.

Sauvagesius in malo nostro definiendo Nosologiæ ejus methodicæ lectoribus verba apud

paginæ calcem invenienda ponit.* Nosologi hujusce eruditi expertique definitionem perfectam nequaquàm habeo, quippe quæ febrem, ægrum ab initio, aut sempèr, aut plerumqùe, ni fallor, detinentem, ne ritè quidem complectatur. Porro, *dejectiones sanguineæ*, malum de quo agitur, ab hæmorrhoidum fluxu, neutiquam clarè distinguunt.

Definitio dysenteriæ Linnæo literis tradita pyrexiam silentio præterit. Scriptor medicus hicce ingenio acerrimo certo certius præditus, dysenteriam inter "*Morbos abdominis evacua-* "*rios,*" collocatam "*Diarrhœam cruentam* "*cum colica, et tenesmo*" definit. Quinetiam, definitionem hancce Linnæo datam, morbum nostrum a diarrhœa ejusdem auctoris, minimè satìs distinguere, nosologiæ suæ verba versantes, me judice, facilè agnoscent.

Marcus Akenside, apud musas, ac Apollinem, Æsculapiumve gratiosior, morbum de quo tractatur, verbis apud calcem legendis,

---

* "*Frequens torminosa, sæpe tenesmodes, fæcum cruenta-* "*rum per inferiora dejectio.*" Vid. Sauvag. Nosol. Method. Gen.

definitum habet.* Tormina autem diarrhœæ sese aut sempèr aut plerumqùe comites præbere, vel nulli vel paucis medicis latet. Quin et, tenesmum diarrhœa laborantibus, haud raro urgere; immo etiam, malum hocce in intestinorum levitate æque ac in dysenteria sæpissimè sævire; alvo videlicet, catharticis drastioribus, colocynthide, nimirum, stalactmite gambogoide, scammoniove plus justo ducta, nemo est in medicina facienda expertus, qui dubitat.

Verumenimvero, præ dysenteriæ definitionibus omnibus aliis, quotquot aut legi aut audivi, ea, Culleno nostro nosologorum omnium facile principi data, mihi potissimùm arridet, quippe quæ, et morbum de quo disputatur optimè designet, et eum ab omnibus aliis dilucidiùs discernat.

Professor hicce observantissimus definitionem dysenteriæ hancce luculentam nobis tradidit.

---

* "*Qui graviora patitur, ventris tormina, simul cum fre-" "quenti desidendi cupiditate et cum dejectionibus sanguinis,*" "*vel mucosis; eum hominem dysenteria laborare omnes medici*" "*consentiunt.*" Vid. Comment. de Dysen.

"*Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes* "*mucosæ vel sanguinolentæ, retentis plerumque* "*fæcibus alvinis, tormina tenesmus.*"*

Est et attamen signum aliud, commentariis de hoc morbo medicis passìm inveniendum, quod Dysenteria implicitos sæpissimè opprimit "*Flatus inflatioque intestinorum,*" videlicet, symptomaque hocce definitioni Culleni subnectere, mens me ritè monet.

Et Cullenus et etiam Joannes Pringelius, Eques Baronettus, observator sagacissimus, speciem dysenteriæ Idiopathicæ unam solummodò habent, signaque omnia, quæ, scriptoribus antiquioribus judicibus, species morbi diversas indicant, *vermes*, scilicet; *substantias carnosas, sebaceasve per anum dejectas, fluxu nullo sanguineo comitante, eruptiones miliares* et alia, anomala, casuique cuidam attribuenda esse, Pringelius et Cullenus clarè ostendunt. Prorsus equidem ita existimo, propterèa quod, ratione ad signa hæcce anomala habita,

* Vid. Cul. Synop. Nos. Method. tom. ii. p. 181.

species morbi præter modum facilè accumularentur.

Hæcce de dysenteriæ definitionibus in limine ponere lubet; definitio veruntamen morbi cujusvis, etiamsi examussìm, accuratissimèque tradita, haud æquè ac historia succincta, malum depingit. Hinc ratio patet, quarè memetipsum ad historiam dysenteriæ tradendam ritè accingam nunc oportet.

HISTORIA MORBI.

Causâ morbi hujusce historiam accuratiùs narrandi, phenomena ejus generalia primò in medium ponam; dein typos quos induit diversos, enucleatiùs disseram.

Signa pyrexiæ solita, horrores notæque stadii frigidi aliæ, sese dysenteriæ comites ab initio interdùm præbent; calor sitisque hisce superveniunt, ægrotique symptomatis morbi pathognomonicis paulò post corripiuntur.

Verumenimverò, affectiones viscerum morbosæ; ventriculi perturbatio inflatiove intestinorum, signa morbi propria sæpiùs antece-

dunt. Haud paucis in exemplis, ægroti signis diarrhœæ consuetis primò tentantur, morbusque typum dysenteriæ proprium gradatìm induit: Aliis attamen in casibus, tenesmus, tormina gravia, dejectiones mucosæ spumosæque, et frequentes et parcæ, ab initio urgent; notæ pyrexiæ deìn sese citò ostendunt, viresque subitò prosternuntur.

Morbus de quo agitur impetum aliquandò tardissimè facit, ægrotique, doloribus viscerum erraticis, dies complures, ante signa dysenterica quam apparent, malè detinentur; anorexia, aliquandò etiam vomitus adsunt; pyrexia adhuc lenis tandèm ingruit; sedes plerumquè, minimè sempèr sanguine miscentur; morbo autem perstante, nunquàm non sanguinolentæ evadunt.

Pyrexia formam synochæ per stadia morbi pleraque interdùm sibi vindicat, sæpiùs veruntamen typhi speciem præ se maturiùs fert, quibusdamque in exemplis, typhus satìs supèrque notabilis ab initio urget: Febris morbum per gradus ejus diversos subindè comitatur; aliis vero in casibus, pyrexia, signis dysenteriæ reliquis perstantibus, aut mitior evadit, aut

prorsùs cessat; exemplis attamen in gravissimis, vis febris sempèr intenditur, omnia in pejus celeritèr ruunt, morbusque paucos intra dies ægrotis exitium affert.

In hoc statu rerum pessimo, vires ægros miserandos prorsùs deficiunt, ac si per dies plures superstites fuerint, mirum in modum, haud secùs ac in phthisi pulmonum emacrescunt.

In historiis autem mitioribus ægroti macie tardiùs conficiuntur. Dysenteriam inter initia speciem diarrhœæ præ se sæpiùs ferre suprà posui, incursumque affectionis hujusce novum, eventum morbo nostrò laborantibus faustiorem, sæpiùs præsagire, observare insuper liceat; diarrhœa scilicet, impetum iterum faciente, et tenesmus et tormina aut mitiora evadunt, aut prorsùs desinunt.

In hac inclinatione rerum feliciore, diarrhœa plerumquè vel sponte cessat, vel remediis propriis ritè adhibitis debellatur, ægrotique periculo nunc prorsùs immunes, languore et debilitate, pro morbi præcedentis violentia solummòdo laborant.

Aliis in exemplis, fæces induratæ per mor-

bi cursum, aut omnino retentæ, aut massulis duris parciùs excretæ, tandèm copiosiùs redduntur; signaque dysenterica, diarrhœa aut nulla, aut leni superveniente, mitigationem paullatìm subeunt.

Hisce de morbi hujusce tenore generali propositis, de historia ejus accuratiùs fusiùsque disserere pergam.

Dysenteriæ subitò ingruenti, virium prostratio summa, nausea, vomitus, pulsatioque arteriarum frequens, sese comites sæpiùs præbent; signisque hisce febrilibus, affectio intestinorum morbosa, dolore, sedibusque liquidis et mucosis, et etiam sanguinolentis stipata, plerisque in exemplis citiùs supervenit: Dolor plerumquè torminosus evadit; variis autem in casibus, gradibusque morbi in eodem ægro diversis, multùm variat.*

Verumenimverò, signa diversa et ventri-

* "Some," inquit Cleghornius vir admodum sagax, "are "seized with a twisting of the guts, which, as they express "it, draw their bowels into knots; and many, instead of "griping pains, which shift from place to place, and come "at intervals, have acute fixed ones in some particular part

culi et intestinorum ataxiam denotantia, nausea, nimirum, inflatio, ructus acidi, alvusque adstricta ægrotos per aliquot dies interdùm tentant, ante symptomatis dysenteriæ propriis quam corripiuntur.

Materia per anum dejecta, in cursu morbi, indolem omninò diversam haud rarò sibi vindicat; interdùm e muco prorsùs constat; sæpiùs vero mucus dejectus sanguine miscetur. Sedes parciùs copiosiùsve sanguine abundant. Striæ sanguineæ nobis ante oculos interdum versantur; interdùm vero sanguis abundantius scatet; interdùm etiam dejectiones, aut penitùs, aut maxima ex parte, e sanguine conficiuntur, adeo ut morbus noster, nisi si, ob signa alia propria, coloremque sanguinis

---

"of the belly, which occasion complaints as various as their "seat; some being attended with stitches about the bastard "ribs, interrupting their breathing freely, as in the pleurisy; "others with pains reaching from one hypochondrium to the "other, cutting them, as it were, in two; while others complain only of a pain about the pelvis, with a constant "fruitless straining to stool, though the body is for the most "part costive, and discharges nothing but bloody slime."

Vide "*Observations on Epidemical Diseases*," p. 245.

fusciorem, cum fluxu hæmorrhoidum confundi facilè posset.

Fœces alvinas naturales, per morbi cursum ferè totum, sæpiùs in colo retineri, supra observavimus; sin autem aliquandò excernantur, massulas distinctas constituunt, quæ cellulas coli diutiùs habitasse videntur, quæque nomen scybalas sibi assumunt. Hisce sive sponte, sive arte excretis, notæ morbi aliæ, tormina tenesmusque potissimùm, levamen subeunt, et dejectiones rariores evadunt.

Substantiæ fibrosæ membranaceæve, massulæque materiæ speciem sevi præ se ferentis, cum partibus fœculentis liquidioribus excernuntur.

Morbo typum vetustiorem induente, pus materiave purulenta per anum dejicitur. Hinc ratio patet, quare medici antiquiores plerique, intestinorum exulcerationem, pro dysenteriæ charactere vero habebant. Sedes verumtamen purulentæ viscera ulcerata neutiquàm semper arguunt, propterea quod, superficiei intestinorum internæ et irritatæ et etiam inflammatione correptæ, vires pus secernendi absque ulcere inesse facilè possunt.

Substantiæ diversæ per anum dejectæ vomitu interdum rejiciuntur, materiaque per os ejecta sæpiùs dotes biliosas, aliquando vero purulentas sibi vindicat.* Quin et, dysenteria laborantes vermes, et *per os et per anum*, haud rarò ejiciunt.†

In stadiis morbi provectioribus sedes saniosæ evadunt, coloremque aut fuscum aut nigrum induunt, pessumèque olent. In dysenteriæ tentationibus primis, haud rarò per gradus morbi plerosque, dejectiones fœtore vel omninò vel ferè vacant, odoreque lenitèr ingrato solummodò gaudent.

Signa primarum viarum perturbationum dysenteriam ab initio comitantur, inflatioque aliquando laborantibus adèo increscit, ut tympanitidi ansas facilè præbeat. Dentes sordibus obducuntur; sapor ingratus in ore sentitur; lingua aut alba muco viscido obtegitur, aut aspera et sicca, tandèm nigra evadit. Aph-

* Vid. Degnerum "*De Dysenteria Biliosa*," et alios.

† Dysenteriam gravissimam in qua et adulti, et ætate provectiores vermes ejecere, anno 1743, sævisse Huxamus nos certiores facit. Pringelius, Monroius et alii de vermibus vomitu rejectis disserunt.

thæ organi hujusce radicibus sæpiùs insident, interdum vero in fauces internas serpunt.

Singultus aliquandò inter morbi initia urget; sæpiùs attamen, in stadiis morbi provectioribus, finemve versus, impetum facit.

Etiamsi nosologi dysenteriam inter morbos febriles jure ponunt, malum absque febre cursum ejus interdùm absolvit: His attamen in exemplis, viscera minùs laborant, ægrique citò convalescunt. In morbo de quo disceptamus, pyrexia typum continuum neutiqùam sempèr induit; at circuitum interdùm habet, sic ut tertio omni die renovetur; sæpiùs vero signa mitigationem solummodò subeunt, febrisque formam remittentem sibi vindicat.

In dysenteriis gravioribus, cœlis calidis grassantibus, hepar plùs minùsve, aut sempèr aut plerumquè laborat; ægrorum oculi colorem flavum sæpiùs induunt; arteriarum ictus et parvi et frequentes evadunt. Sedes, in primo morbi incursu mucosæ, quandoquè sanguine interstinctæ sunt. Scybalæ, aut rarò aut nunqùam excernuntur; viscera sæpiùs neutiqùam inflantur; ægroti torminibus tenesmoque anguntur, vel potiùs excruciantur; mucus et viscidus et glutinosus parciùs tantùm dejicitur;

anus sæpiùs prolabitur; dyspnœa violenta urget; dolores jaculantes et pelvim et abdomen totum transcurrunt; ægroti aut fatui aut mente prorsùs capti evadunt; nec verba nec cogitationes eorum inter se ritè conveniunt. Singultus gravis et curtus, et dolentissimus, ægros opprimit; materia nigra, fœtideque olens, ex ore rejicitur; dolores excruciantes; pulsus debilis vix ac ne vix quidem percipiendus est; dejectiones fœtent, sæpiùsque e sanguine omninò constant.

Morbo ad exitium ægri vergente, signa diversa prostrationem virium summam certo certius denotantia, pedetentìm accedunt; lienteria ingruit, ingestaque qualiacunque vix ac ne vix quidem mutata dejiciuntur; pulsus arteriarum admodùm debiles et exigui et irregulares evadunt; partes corporis diversæ sudore viscido gelidoque madent; artus, inferiores potissimùm, frigidi fiunt; arteriæque tandèm micare desinunt; dolores tenesmusque cessant; anxietas autem inquietudoque magis urgent; fœces nigræ pessimè olent; ægrique faciem Hippocraticam habent; mente veruntamen sana usquè ad extremum spiritum gaudent.

PHENOMENA QUÆ, CADAVERIBUS DYSENTERIA PEREMPTORUM INCISIS, IN LUCEM PRODEUNT.

Phenomena quæ, corporibus dysenteria mortuorum scrutatis, in conspectum veniunt, ad morbi historiam reverà pertinent, ideoque pauca de iis hìc loci disseramus oportet.

Quod ad viscera abdomen reliqua quidèm attinet, organa hæcce sæpiùs clade immunia evadunt, mesenteriumque, intestinis etiam gangrena correptis, adipe interdùm obruitur. Viscera veruntamen abdominis alia in partem mali haud raró veniunt. Omentum quandoqùe macie, vel ferè vel omninò, conficitur. Cleghornius, in cadaveribus dysenteria extinctorum inspiciendis multum exercitatus, historias ejusmodi duas in commentariis retulit. Hisce in exemplis, omenti reliquiæ colorem nigerrimum induerunt, materiaque purulenta in cavitate abdominis effusa ei ante oculos, cadaveribus sectis, versata fuit.* Vesica fellea

* Vid. "*Observations*," &c. p. 147.

a bile sæpiùs multum distenditur, fluidumque hocce colorem solito nigriorem adipiscitur. Hepar, Pancreas, Lien, Renesque, et flaccidi et molem aucti, sæpiùs veruntamen magnitudinem diminuti, præterque modum duri, cadaveribus dysentericorum incisis, in lucem veniunt. Viscera hæcce interdùm, aut sphascelata evadunt, aut abscessibus conficiuntur.

Verba Cl. Pringelii, apud calcem paginæ legenda, morbi hujusce effectus ærumnosos, vivis coloribus sanè depingunt.*

Viscera thoracica mutationes insignes rarissimè subeunt. Historiæ unius in qua septum transversum ad costam tertiam ascendit Pringelius mentionem facit. In hoc casu pulmones sani evasere, diaphragmatisque ascensus intestinorum distentioni forsàn attribuendus est. Quibusdam veruntamen in exemplis, pulmones

---

* "Although the body was opened the next day, the "smell was intolerable; the intestines were wholly mortified, "and the stomach partly so. The coat of the liver was "putrid; and in its substances were several abscesses, con-"taining purulent or ulcerous matter; the spleen was like-"wise corrupted," &c.

Vid. "*Sir John Pringle's Observations on the Diseases of* "*the Army*," p. 242.

pessimè se habent; sanguis colorem nigrum induit, ventriculisque cordis plùs minùsve concrevit.*

Peritonæum inflammatione nonnunquàm afficitur, nonnunquàm ulceribus obsidetur.

Quin et, abdominis integumenta, partium internarum inflammatione effectibusque ejus, ne sempèr quidem immunia evadunt; tela etenim sive cellulosa, sive adiposa, musculique abdominis et flaccidi et molles fiunt, fluidoque seroso interdùm distenduntur.

Provisis hisce, quæ ad morbi historiam, signaque morbosa, nobis ante oculos, cadaveribus dysenteria defunctorum inspectis, sæpiùs versata, pertinent, ad morbi diagnosim veniam.

DIAGNOSIS.

Notæ morbi hujusce pathognomonicæ, satìs supèrque manifestæ, plerisque; ni fallor, in exemplis, in apertum prodeunt, ideòque si verba

* Vid. Morgagn. de sed. et caus. &c. Epist. xxxi.

de diagnosi fusiùs facerem, supervacaneum sanè foret.

Diarrhœa.—Dysenteria sub initio typum diarrhœæ sæpiùs induit, proque morbo hocce interdùm habetur. Hi veruntamen morbi, vel sempèr, vel plerumquè facilè, me judice, dignoscuntur.

Dysenteriâ quidem ægroti cupiditate desidendi frequenti tentantur; alvus veruntamen iis parcissimè redditur, sedesque e muco sanguineque ferè omninò constant. Quinetiam, diarrhœâ ægrotantem, pyrexia ab initio nunquam lacessit; sin autem febris, diarrhœâ detento ad mala alia postea accedat (quod aliquandò reverà accidit), vel pyrexia, vel intestinorum levitas, symptomatica semper habeatur oportet. Porro, in diarrhœa, canalis alimentarius neutiquàm æquè ac in dysenteria constringitur, stercoraque indoli naturali parùm aliena plerumquè excernuntur. Diarrhœa laborantem tenesmus aut raro aut nunquam tentat, nisi si alvus catharticis violentioribus malè ducta fuerit. In morbis utrisque æger torminibus corripitur; tormina autem nequaquàm ex æquo in uno et altero urgent. Diarrhœam idiopa-

thicam inter morbos contagiosos neutiquàm habendam esse, insupèr observandum est.

Cholera Morbi.—Quod ad choleram quidem attinet, humoris biliosi vomitum Dysenteria ægrotantes interdùm detinere, non inficies ibo, spasmi autem surarum absunt. Quin et, in hoc pyrexiæ absentia, nisi si febris ab irritatione symptomatica quandoqùe profiscatur, notam præbet, quâ morbi a semetipsis promptiùs internoscantur.

Colica.—In colica alvus adstringitur; tenesmusque aut rarò, aut nunquàm ingruit. Pyrexia nec non abest. Hisce ritè perpensis, Diagnosis inter dysenteriam colicamque faciliùs deducenda est.

Hæmorrhoides.—Dysenteria cum hæmorrhoidibus, apud medicos indoctos imperitosque confundi forsàn potest; fluxu autem hæmorrhoidali laborantibus, alvus plerumqùe adstricta, ducta vero fœces naturales reddit. Quin et, pyrexia abest, tumoresque anum sæpiùs obsident, e quibus sanguis frequentissimè profluit.

Hisce de dysenteria dignoscenda brevitèr prolatis, sequitur, ut causas morbum continentes inveniam.

CAUSAM PROXIMAM.

Scriptores medici, causas morborum proximas scrutantes, operam oleumque plerumquè perdidere, causaque dysenteriæ proxima ne in aperto quidem est.

Quod ad causam morbi hujusce primariam reverà attinet, plerisque auctoribus judicantibus, materia acris quædam, vel in intestinis generata, vel in ea recepta, conditionem eorum talem inducit, qualis ad morbi signa omnia pathognomonica gignenda promptiùs valet; natura autem hujus materiæ et mentis et oculi aciem adhùc fugit, sempèrque, ni fallor, fugiet, ideoque vires ingenii, ad lumen rei huicce obscurissimæ effundendum, me quidem deficere minimè pudet agnoscere; at pauca de medicorum quorundam artis peritorum sententiis in medium ponere lubet.

Joannes Pringelius Eques Baronettus illustrissimus expertissimusque indolem putridam in hac materia inesse strenuò contendit, ac rationem intestinorum inflammationis gangrænæve, inflationisque ventris, quæ morbum nostrum sæpissimè comitantur, exindè faciliùs reddi, sibi persuasum habuit. Donaldus Monroius M. D. qui, et de hoc et de morbis aliis diversis, quibus milites obnoxii sunt, eruditè callidèque scripsit, Pringelio assentit.

Cullenus noster ad theorias medicas excogitandas et promptissimus et ingeniosissimus, se de hoc re dubitare nondum desiisse, primò quidem confitetur, postèa vero, causam dysenteriæ proximam, e constrictione coli spasmodica, vellicationibus spasmodicis torminibusque acerbioribus viam sternente, maxima saltèm ex parte petiit. Quin et, vellicationes hasce rectum etiam corripientes, tenesmo, dejectionibusque mucosis, ansas facilè etiam præbere, Culleno verisimilius visum est.* Hoc vero pro morbi affectu, minimè pro causa ejus, me judice, habendum est.

---

* "Of these symptoms, the proximate cause is still obscure. I apprehend, therefore, that the proximate cause

Marcus Akenside poetices quidèm suavitate, potiùs ac medica scientiâ nobilitatus, indolem eandem, et morbo de quo disputatur, et rheumatismo inesse, nullus dubitavit.*

Sydenhamus Hippocrates ille Britannicus, qui fama meritissima fruitur, semperque procul dubio fruetur, dysenteriæ "*Febrem introversam,*" nomen haud parùm certè idoneum indit.†

Quod ad meum de hac re judicium quidem pertinet, certè haud me pœnitet eorum sententiæ esse, qui dysenteriam, catarrhumque epidemicum, *influenza*, videlicet, morbos congeneres esse contendunt. Frigus etenim, humiditasque, morbos hosce, et unum et alterum, facilè gignunt. Membrana narium mucosa, in catarrho, similitèr ac membrana intestino-

---

"of dysentery, or at least the chief part of the proximate "cause, consists in a preternatural constriction of the colon, "occasioning at the same time spasmodic effects, which are "felt in severe gripings; and which effects, propagated "downwards to the rectum, occasion there the frequent "mucous stools and tenesmus." Vid. Cull. *First Lines,* vol. ii. p. 60.

* Vid. "*Comment. de Dysent.*" ubi supra.

† Vid. *Sydenhami Opera,* p. 172.

rum mucosa, in dysenteria afficitur, impetumque dysenteriæ graviorem, superficiei membranæ intestinalis longe extensiori, adducor ut attribuam. In catarrho, mucus ob indolem ichorosam quæ ei inest, labia et inflat, et in inflammationem ciet, partisque recti inferioris inflammatio, causam tenesmo facilè præbebit. Iis igitur de causis, morbum de quo libellus noster agit, pro gonorrhœa catarrhove viscerum habere, causamque ejus proximam, in tunicæ intestinorum villosæ inflammatione petere, mens me sanè monet. At de hac re fusiùs loqui, non per otium licet; artis igitur medicæ peritiores de causa dysenteriæ proxima acriùs judicent litemque demum derimant.

CAUSÆ PRŒDISPONENTES.

Dysenteria in regionibus calidis, sæpiùs ac in vel frigidis vel mitioribus grassatur, sæpiùsque finem aut æstatis, aut autumni versus impetum facit. In ægros, milites potissimum soli ardenti expositos, postea cœli intempestate, imbribusque per autumnum nimium delassatos,

utpote sævit: Hiemis verò frigus gradum morbi plerisque in exemplis felicitèr sistit. Dysenteria veruntamen epidemica, strages cladesque vere undique edens, Huxhamo observantissimo ante oculos versabatur.*

Quin et, morbus noster post tempestatis fervorem moderatum, homines interdùm tentat, exitioque ægris frequentissimè est, nec hieme ineunte gradum sistit; at potiùs inexorabilis cursum usque ad ver tenet.

Homines debiles et vires et robur corporis fracti morbo huicce obnoxiores evadunt, ægrotique, qui viribus malè ceciderunt morbo typum atrocissimum febrique putridæ simillimum induente promptiùs corripiuntur. In hoc statu rerum, Gilberto Blanio equite Baronetto judice, dysenteria inter febres idiopathicas maligniores jure enumeranda est, affectioque viscerum symptomatica habeatur oportet.†

Prætereà, quin ripæ fluviorum magnorum, regionesque sylvis et densis et latè diffusis vicinæ, præ locis aliis, dysenteriæ pateant, nullus

* Vid. Huxham "*De Epidem.*" 1743, p.

† Vid. Blane's Diseases of Seamen, &c. p.

equidem dubito. Hisce etenim in locis, venti non facilè aspirant, ideoque vapores copiosè exhalati, parumque dissipati, in aquas pigras promptiùs mutantur, quæ ad dysenteriam gignendam procul dubio multum conferunt. Porro, hisce ex paludibus aquisque stagnantibus, in quibus animalia perplurima plantæque variæ putridinem subeunt, miasmata virosa copiosissima sanè oriuntur, quæ dysenteriæ culpam, me judice, haud immeritò sustinent.

CAUSÆ EXCITANTES.

Quod ad causas dysenteriæ occasionales quidem attinet, scriptores medici haud pauci contagium causam morbum excitantem solam unicamque habent, causasque occasionales alias, vires contagii tantummodo augere, nos rite docent.

Contagium.—Quod ad leges contagionis modumve operandi viri revera pertinet, ne hac vice quidem fusiùs disputandum est, paucaque de viribus ejus, quæ in morbum nostrum cedere potissimùm videntur, in lucem edere satis habeo.

Contagii dysenteriæ vires ægris circumstantibus solummodò nocent, eminùsque innoxiæ sanè evadunt. Excreta ægrorum fons mali præcipuus jure habenda sunt. Odorem etenim fœcum dysenteria laborantûm, et homines sanos et etiam jumenta inquinasse Zimmermannum testem fide prorsus dignum habemus. Quin et, quo fœtidiùs alvi excreta oleant, eo vires contagiosæ insigniores morbo, ni fallor, insunt. Vestimenta supellectilemve, quæ in contactum cum ægris nunquàm venerant; si modò effluviis aut ægrorum corporibus, aut excrementis potissimùm exhalatis, objecta fuissent, sanos inquinare; illum veruntamen, qui vestes contagio dysenterico imbutas gerit, et ipsum immunem evadere, et socios veneno inficere posse, memoratu dignissimum est.*

Verumenimvero, dysenteriam et tardiùs in populum diffundi, et viribus corrumpentibus levioribus ac febres contagiosæ aliæ pleræque gaudere, Pringelius in hoc morbo exercitatissimus nos certiores facit. Hinc, medico hocce judice, ratio patet, quare vires contagiosæ, quæ dysenteriis mitioribus epidemicè grassantibus,

---

* Vid. Zimmer. " *De Dysenteria.*"

et Sydenhamo et Willisio literis nemoriæque mandatis infuerunt, oculorum aciem prorsùs fugerant.

Quin, morbo formam mitiorem induente, res ita se frequentiùs habeat, non inficias ibo; dysenteriam veruntamen typos pejores pessimosve sibi vendicantem contagium virosissimum aut sempèr aut plerumqùe citissimè diffundere, nullus equidem dubito. Et Degnerus, et scriptores medici alii dysenterias epidemicas in commentariis retulere, quæ adstantes ægrorumque socios promptiùs ac pestis ipsa inquinaverunt.

Quod ad causas dysenteriæ occasionales alias quidem attinet, si ad morbum gignendum viribus propriis absque contagio parùm valeant, huic procul dubio multum favent, vimque ejus accumulant, adaugentque, ideòque causâ morbum coercendi, summa cum cura evitentur oportet.

Quin victus et pravus et parcus dysenteriæ inter pauperes acerbiùs sævientis crimen sustineat, ne anceps equidem hæreo; viresque vitæ diminutæ effectum haud disparem facilè edunt.

Quin et, sordes immunditiæque sive corporum sive ædium, viam dysenteriæ inter humiles grassanti promptissimè sternit. Quin vires morbi nostri contagiosæ causæ huicce soli jure attribuendæ sint, animus Zimmermanno in dysenteria multum exercitato neutiquàm pendet. Morbus etenim inter initia impetum in multos semèl fecit, idèoque, medico hocce judice, ortum a causa latiùs ac contagium dominante ducere, proque incuria ægrorum, ad munditias faciendas, vires inquinantes acquirere videbatur.

Morbum de quo agimus homines in campis decumbentes, stipendiaque vicissitudine mutationibusque tempestatis omnibus facere assuetos, promptiùs corripere, Libri de morbis militum vel plerique vel omnes in lucem editi, nos ritè docent; remque ita se habere, memetipsum persuasissimum haud inexpertus habeo. Quin et, in hoc statu rerum, haud secus ac in exemplis aliis plurimis, frigus calori per vices succedens exitiosum potissimum evadit; eaque forsàn de causa, cœlum et humidum et calidum insaluberrimum sæpiùs est: Aqua, videlicet per diem in vaporem ardore solis mutata,

vapore autem condensato, et algorem et humiditatem gignit. Hinc etiam ratio patet, quare dysenteria febresque et intermittentes, et etiam remittentes, eodem tempore sæpius invadunt, hique morbi omnes haud raro simul ingruunt.

Perspiratio obstructa, inter causas dysenteriæ occasionales jure enumeranda est. Humores, poris cutis organicis constrictis, intestina versus evocari, ansasque aut diarrhœæ aut dysenteriæ promptius præbere, medicis vel plerisque vel omnibus liquet. "*Cutis stricta* "*alvus laxa est.*"

Si Sanctorii experimentis fides habenda est, ex libris nutrimenti octo viginti quatuor horis assumptis, quinque per poros cutis exeunt. Rebus ita sese habentibus, œconomiæ animalis functiones, perspiratione quacunque ex causa obstructa, perturbationes insignes subeant oportet. Hisce in casibus, fluida in canalem alimentarium derivata, vel intestinorum levitatem vel dysenteriam promptissime gignere, usus experimentaque satis superque nos docent.

Scriptores medici diversi, conditiones bilis quasdam morbosas, pro causa dysenteriæ excitante sola agnoscunt, propterea quod, et bilis haud raro justo copiosius dejicitur, et fluidi hujusce quantitas inordinata, colore nigro ideoque vitiato præditi, in intestinis vesicaque fellea dysenteriâ defunctorum, sæpius detegitur. Dysenteriam morbosque biliosos in iisdem regionibus aut endemice, aut epidemice grassari, insuper observandum est.

Verumenimvero morbus de quo disputatur, rationem ad conditiones bilis morbosas nullam, me judice, habet, choleraque et morbi alii in quibus bilis mutationes varias, et in quantitate secreta, et in dotibus ejus subit, absque dysenteria, nobis ante oculos indies versantur.

Quinetiam, sunt qui materiam acrem, a dotibus bilis alienam, intestina hospitantem, canalemque hancce male irritantem culpant, materiam veruntamen ejusmodi pro effectu potius ac causa morbi, plerisque in exemplis, ni fallor, habere oportet. Quin autem irritationes intestinorum, bile, vermibus, flatu, acidis, materiisque aliis acribus diversis vel genitæ, vel auctæ, diuque ibi perstantes, in dysenteria finiri

possint, scrupulus nullus mihi restat, causasque ejusmodi, et vim morbi augere, et vires ejus contagiosas intendere, experiendo discimus.

An effluvia putrida, viribus propriis, morbum nostrum gignant, necne, artis peritiores judicent. Quomodocunque vero res hæc se habeat, effluvia ejusmodi et morbi violentiam promovere, et vires ejus inquinantes graviores reddere, satis superque constat. Donaldus Monroius, M. D. in dysenteria sub formis ejus diversis grassante exercitatissimus, causas morbum excitantes nullas alias, præter perspirationem obstructam, effluviaque putrida agnoscit.

Morbos plerosque alios, peste, typho, febribusque quibusdam aliis grassantibus, lateque dominantibus, plerumque evanescere, eosque impetum tunc temporis facientes, typhum epidemicum aut fere, aut semper sibi inducere, scriptores medici nos docent. Dysenteria latius sæviente, morbos fere omnes alios suo jure decedere, notatu dignissimum est. Morbo nostro inveterascente, nullum fere alium grassatum esse, exemplumque aut diarrhϾ aut variolæ sporadicum unum alterumve, sibi ante oculos versatum fuisse, Degnerus nos certio-

res facit. "*Vel neminem vel nullum,*" ait noster auctor, "*morbis quibusvis aliis implicitos, Dy-*" "*senteria male regnante, aut vidi, aut audivi.*"* De phenomeno hocce inter auctores plerosque alios convenit. Febres sive intermittentes sive remittentes ad indolem dysenteriæ induendam, potissimum proclives sunt.† Hinc ratio patet, ob quam Sydenhamus sagacissimus epidemicos ejusdem anni, speciem eandem gradu majore, minoreve, præ se ferre contendit. Species dysenteriæ atrocissimas, typho dejectionibus fœtidis stipatas, vel febres putridas sæpius antecedere, vel earum vestigia sequi, usus experientiaque medicos docent.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hisce de causis dysenteriam continentibus prolatis, sequitur pars opusculi hujusce, quâ ratio signorum hujus morbi quorundam mihi, more solito investiganda est.

---

* Vid. Degner. "*De Dysent. Bilios,*" ubi supra.

† Vid. Pring. et Donald Monro, passim, et alios.

Verumenimvero, ad hoc pensum exequendum, memetipsum ægre sane accingam, eoque magis quod, in rationibus sive hujus sive morborum aliorum symptomatum investigandis, viam in tenebris digitis sæpius prætentemus oportet. Maluissem igitur de hac thesi penitus tacere, nisi revera timuissem; ne silentium mihi vitio præceptores verterent. Pauca igitur de signorum quorundum causis, quæ, me judice, præcipue valent, quæque artis peritiores in medium posuere, disserrere lubet.

1. *Pyrexia.*—Dysenteriâ tentatos febre corripi, vires contagiosas morbo plerumque inesse cogitantibus, mirum videri non debet; pleræque etenim contagiones, pyrexiam aliquam; singulæ autem diversam, sibique propriam, excitare solent. Phenomenon autem hocce explicatus prorsus difficiles sane habet, propterea quod, naturam contagiorum; naturam miasmatum effluviorumve, quæ, oculorum aciem fugientia, effectus noxios in corpus potissimum edunt, male accipimus, compertamque minime habemus.

2. *Dejectiones, frequentes, mucosæ, et sanguinolentæ.*—Contagium dysentericum vi qua-

dam quæ ei inest, humorum impetum canalem alimentarium versus propellit; adeo ut glandulæ superficiei canalis hujusce internæ insidentes in motum præter modum cieantur, fluidaque solito longe uberius secernant, excernantque. Quin et, intestina ipsa, iisdem modis, præter consuetudinem stimulantur, ideoque motus eorum peristalticus magnopere acceleretur oportet. In hoc statu rerum dejectiones solito frequentiores necessarie evadunt.

Motum veruntamen peristalticum præter ordinem auctum, ad partes intestini recti inferiores potissimum circumscriptum esse, ideoque tenesmo, ægrotantibus tot ærumnas afferenti causam promptius dare, in memoria probe tenendum est.

Fæces et liquidæ et mucosæ evadunt, idcirco quia, glandulæ recti cui motus peristalticus præter ordinem adauctus potissimum inest; glandulæ necnon canalis totius mucum copiosius secernunt, qui igitur uberius descendit. Partes vero stercoris crassiores, solidioresque, constrictione spasmodica transitum liquidioribus tantummodo præbente, in parte coli supe-

riore retinentur. Hoc autem in loco detentæ durissimæ brevi fiunt, formam massularum globosarum e coli cellulis certo certius pendentem assumunt, ideoque medici scybalas nomen iis indunt.

Dejectiones sæpius sanguine tinguntur, eo quod vascula intestinorum infirmata humorum acrimoniâ, male irritata peresaque, sanguinem effundunt.

3. *Fimbriæ membranaceæ.*—Hæ fimbriæ striæve, e tunica intestinorum interna abrasa, ni fallor, constant.

4. *Massulæ sebaceæ caseum referentes.*—Quod ad massulas hasce quidem pertinet, naturam earum, me judice, neutiquam adhuc satis compertam habemus. Zimmermannus corpuscula hæcce ortum a muco spissato ducere, sibi persuasum habet. Pringelius frusta casei, quæ, aut ægro adhuc valente, e ventriculo in intestina descenderant, aut e lacte coagulato formata fuerant, causam massulis hisce dedisse sentit.*

* "As to the white substances," inquit medicus hicce diligentissimus, "which I compare to suet, I do not

5. *Tormina.*—Canalis alimentarius, per cursum ejus totum, nervis opime et opipare instructus, sensu acutissimo sane præditus est, ideoque stimuli sive chemici, sive mechanici superficiei canalis hujusce internæ adhibiti, et motum ejus peristalticum multo augent, et etiam contractiones violentas excitant. In hoc statu rerum, humorum impetu, vasorumque dilatatione ab hoc pendente auctis; muco viscerum superficiem in statu sano muniente, male abraso; materia acri perpetuo agente; irritatione partis admodum sentientis, summa, par-

---

"know whether they are the same which Hippocrates calls "σαρκες (*carunculæ*), but they are plainly described by "Aretæus, and Cælius Aurelianus, and have since been "taken notice of by later writers, under the name of '*cor-*"*pora pinguia*,' and variously accounted for. Although I "have frequently seen them, I had neglected to examine "them till the Autumn of 1762, when Dr Huck and I vi-"sited a patient ill of dysentery, who voided such substances. "We preserved one of them; and were both satisfied that "the object of our inquiry was nothing but a bit of cheese, "though the patient assured us afterwards, he had tasted "none from the beginning of his illness, which had been of "above a fortnight's standing," &c.

Vid. "Observations," &c. p. 229, 230.

teque hacce ipsa inflammatione correpta; phenomenis hisce morbosis omnibus in animo rite pensitatis, motus inordinatos in dysenteria oriri, torminaque gravissima gignere, ne mirandum quidem est.

6. *Fæces pessime olentes.*—Quin odor stercoris dysenteriâ cubantis fœtidissimus, aliquandoque propemodum cadaverosus, proclivitatem rerum omnium, quæ in canali alimentario continentur, ad putredinem subeundam, summam evidentissimamque causam agnoscat, nullus equidem dubito. Intestinorum excreta morbis in aliis gravissimis, in febre, scilicet, maligna, graduve typhi extrêmo, æque ac in dysenteria sæpius fœtent, fœtorque, ni fallor, a causa eadem pendet.

7. *Prolapsus ani.*—Signum hocce admodum grave, ægrum, in stadiis morbi extremis, potissimum opprimens, a nisu inter desidendum violento, assiduo, inanique, originem ducit. Quinetiam, si dysenterici dysuriâ, stranguriâve, aliquando tentantur, malorum horum causa ab inflammatione a recto ad vesicam urinariam porrigente, si satis cerno, petenda est.

Hisce de causis signorum dysenteriæ quorundam propositis, sequitur, ut in hoc morbo notas explicem, quæ vel spem vel periculum ostendunt.

PROGNOSIS.

Et in hoc et in morbis omnibus aliis, prognosis ex historia deducatur, ni fallor, oportet: signisque diversis in historia tradenda enumeratis, in animo rite perpensis, medicus de dysenteriæ eventu, me judice, judicium ferre facile poterit. Ea de causa fusius de prognosi hic loci dicere, ne in animo quidem est; pauca attamen in medio proferre necesse habeo.

Dysenteria spatio temporis diverso cursum peragit. Morbi species mitiores haud secus ac graviores, paucos dies, saltemve hebdomadas intra, metam pertingunt. Siquando verumtamen signa pertinacia, potius quam gravia evaserint, morbus menses complures perstat.

Si æger nec vires morbis antecedentibus fractus, nec habitu corporis pravo oppressus, impetu morbi primo, ad remedia propria, rite matureque confugerit, medicamentaque et a-

stringentia et stimulantia evitaverit, de eo bene sperandum est: Sin autem medicus morbum sub initio, vel male prætermiserit, vel perperam tractaverit, eo magis spes in angusto est; signaque sequentia pyrexia, nimirum torminibus violentis tenesmoque comitata; dejectiones liquidæ mucosæ, fuscæ, purulentæ, vel nigræ, vel albæ, vel flavæ, fœtideque olentes; prostratio virium magna; petechiæ; dolor subito cessans; pulsus arteriarum et debiles, et intermittentes; abdomen admodum dolens tactum refugiens; lingua arida, vitrea rubraque; singultus, anique prolapsus, omnia pessima habenda sunt, exitiumque in propinquo esse denunciant.

Dysenteria enteritidi acutissimæ sese comitem interdum præbet; interdum etiam vices cum febre intermittente mutat. Hisce in casibus, spes vel fere, vel omnino abjicienda est.

Dysenteriæ vetustæ insanabiles evadunt, propterea quod causæ, vel semper, vel plerumque, latent.

Quin et, ægrotos qui, vi morbi per spatium temporis restitere, vires vitæ haud raro subito

deficiunt, dein ægri miserandi, admodum labescunt, morboque celerrime cedunt.

Verumenimvero, si signa pyrexiæ aut ab initio minus urgent, aut in cursu morbi mitiora evaserint; si ægrotus cibum appetiverit; si tenesmus nauseaque mitiora fiant; si dolores mitigationes subierint, sedesque minus fœteant; si macies, debilitas, anxietasque, haud multum ægrotos infestaverint; si imprimis quiete somnoque ægroti fructi fuerint, cutisque et mollis et humida evaserit, de iis bene sperare liceat.

Dysenteria, utpote vetusta, morbis debilitantibus diversis, morbis ventriculi intestinorumque potissimum; diarrhœæ, videlicet inveteratæ, lienteriæve; dyspepsiæ; viscerum doloribus cum aliis viam promptius sternit. Dysenteriâ convalescentes quosdam chylum cum fæcibus dejecisse, bulimiaque correptos fuisse Degnerus nos certiores facit. Quin et, morbo diutius perstante, aut ascites, aut anasarca sæpius male supervenient, ægrotumque conficient.

Cognitis hisce indiciis, quæ in dysenteria, et medicum et ægrum, vel spe consolentur, vel metu terreant, ad morbi curationem transeundum est.

PROPHYLACTICA.

Siquidem morbo occurrere optabilius ac ei succurrere sane foret, in dysenteria curanda, potiusve prævenienda, prophylactica attentionem medici maximam summo cum jure sibi vindicant. Ea igitur de causa, ratio ad munditias potissimum habeatur oportet, propterea quod morbus promptissime inquinat, vires ob contagiosas insignes quæ ei insunt. Quod ad contagium dysentericum vero attinet, foricæ virus frequentissime disseminant. Hinc ratio patet, ob quam cloacæ sæpissime, seduloque purgandæ sunt.

Quin et, complures dysenteria laborantes eandem foricam perperam frequentant; idcirco quia, veneno vires ejus perpetuo excercente, morbus et ægroto ipsi, et aliis ei assidentibus longe periculosior evadit. Excreta in terram illico defodiantur oportet. In castris medicus milites morbo implicitos deprehendere summa cum cura conetur; malum etenim sæpius sedulissime celant, quippe quod eos a solatiis sociorum arceat, ideoque rarius in lectum sese

recipiunt, usque dum sodales haud paucos inquinaverint.

Vomitum, purgationemque lenem, morbo facturo impetum in eos, qui viribus ejus obnoxii vivunt, sæpius obstare, Zimmermannus nos certiores facit. Illos qui cibum, potumque moderatius sumunt; potionibus frigidis sese abstinent; perspirationem, inter dormiendum potissimum, corpore, videlicet, stragulis lecti undique circumtecto, rite fovent, aut clade dysentericâ prorsus immunes evadere, aut morbo sub forma ejus mitissima, solummodo corripi, sunt qui nos docent. Defatigationem metum, animique molestiam, corpus ad dysenteriam, haud secus ac ad morbos alios contagiosos proclive reddere, medicis omnibus, ni fallor, liquet. Quin medicamenta tonica ad malum hocce præcavendum, canale, videlicet, alimentario, usu eorum confirmato, sæpius valeant, nullus equidem dubito.*

Ratione ad prophylactica hæcce aliaque rite habita, dysenteriæ venienti occurrere nitimur;

---

* Vid. Baker, "*De Dysenteria.*"

successu veruntamen haud raro caremus; ideoque, de morbi instantis curatione rite disserendum est.

RATIO MEDENDI.

Quod ad methodum morbo huicce medendi quidem pertinet, ratione ad causas, sive proximas sive prædisponentes, sive denique excitantes, rite habita, indicationes curatoriæ duæ, ni fallor, exequendæ veniunt; hæque indicationes rationem curandi totam, si mens me recte monet complectuntur.

I. *Alvum rite purget, medicus oportet.* Indicationeque hacce absoluta,

II. *Vires restituere visceribus conetur.*

Causâ indicationem primam absolvendi, irritationes diversas, causasque alias, quæ aut actionem ventriculi motumque intestinorum impediunt, aut motum peristalticum huncce, ad fœces per canalem anum versus propellendas,

inefficacem reddunt, medicus sedulo removere debet; dum usu catharticorum, et alvum subducere, et primas vias reficere conatur.

Cathartica.—In dysenteria curanda, medici vel plerique vel omnes, catharticis, præ remediis aliis omnibus, jure nituntur. Ad usum igitur eorum, et tentationibus morbi primis, et per cursum ejus totum, pro re nata rite decursum est. Cathartica promptius alvum ducunt; remediis veruntamen hisce, ægroto aut rarius aut nunquam succurritur, usque dum scybalæ dejiciuntur. His autem ejectis, spasmis intestinorum celerius opitulatur.

In scybalis expellendis, medicus quandoque citius, quandoque serius votis fruitur. A proposito sæpius haud alienum erit, si curans quamprimum ad opium confugit, submuriasque hydrargyri per vices, cum antispasmodico præstantissimo hocce, adhibitus, ad scybalas eluendas haud raro satis valet.

Præparatum hydrargyri hocce præparationibus metalli omnibus aliis, scriptores medici diversi, et Joannes Clarke Novi Castelli nuper defunctus potissimum anteferunt; viresque ejus in ægro morti eripiendo, medico huicce pleno

ore laudantur: Dosibus gr. x. cum opio conjunctorum, horâque somni sumendis, usque dum glandulæ salivales in motum lenem cieantur, effectus exoptandos plerumque præstabit. Torminibus tenesmoque, usu hujus remedii, si experientiæ Doctoris Clarke fides danda est, et citius et optime succurritur, morboque celeriter medetur.

Verumenimvero, in hoc morbo debellando, Medici alii cathartica alia in auxilium vocant; ad sales medios potissimum decurritur. Sunt quibus solutio sulphatis magnesiæ, tartritisque antimonii et potassæ, in aqua menthæ piperitidis, dosibus parvis om. q. q. h. sumenda, usque dum alvus rite responderit, præ salibus neutris aliis arridet.* Tartris potassæ et sodæ; supertartris potassæ; in-

---

* ℞. Sulph. Magnes. ℥ij.—Antimon. Tartar. gr. ij.—Aq. Menth. Piper. ℥x.—Spirit. Lavand. Compos. ʒij. M. ft. mist. Sumat. ℥iij. om. hor. usque dum et alvus respon. et Tormina mitigata fuerint.—Vid. Joan. Pring. p. 246. Aud. etiam Prælect. de Med. Pract. Jacob. Gregory.

Sulphas magnesiæ lenius ac sulphas sodæ alvum ducit plusque ad tenesmum torminaque mitiganda, ni fallor, valet.

fusum tamarindorum cum senna; oleum ricini cum mucilagine gummi mimosæ niloticæ commistum, in auxilium pro re nata vocanda sunt. Scriptores medici quidam, se, catharticis omnibus aliis posthabitis, ad purgationem hancce semper confugisse nos certiores faciunt. Quin et, remedium idem pro ægris enteritide, cum torminibus acutioribus tentatis, haud raro plurimum facit.*

Causâ superficiem relaxandi, bolus, pulveris ipecacuanhæ gr. ij; tartritis antimonii et potassæ gr. ss. conservæ rosar. q. s. confectus, vespere cum commodo sumendus est; eoque magis, si æger, aliquod diluens tepidum, per noctem libere bibendo, consilio medici rite faveat.

Catharticum postridie mane repetatur oportet; crastinaque nocte, pilulam ex ipecacuanhæ gr. ij. opii gr. ss. h. s. adhibere liceat. Postea, grana ipecacuanhæ xii. vel xiv. singulis diebus forma pilularum granorum, scilicet, duorum adhibita, in hoc statu rerum haud parvo commodo ægroto erint, quippe quæ et super-

---

* Prælect. Botan. Joan. Hope, &c. Palma Christi.

ficiem bene relaxaverint, et alvum rite solutam tenuerint.

Mistura ex oleo ricini, aquâ cinnamomi tincturâque opii confecta, in torminibus potissimum sedandis, effectus bonos sæpius præstat.

Pringelius, et in medicina facienda prorsus expertus, et in morbo nostro utpote versatus, bolum ex pulveris rhei palmati gr. xxv. submuriatis hydragyri gr. v. mane sumendum, dysenteriâ cubantibus administrare solebat.

Sin autem cathartica hæcce leniora medici votis parum responderent, ad purgationes acriores, pulverem, videlicet, radicis convolvuli jalapæ, cum calomelane conjunctum, rheum palmatum, aliaque, dosibus plenioribus adhibenda, ille confugere debet.

Verumenimvero, qualiacunque purgantia in auxilium vocamus, in usu eorum sedulo perstemus, usque dum, et alvi excreta dotes naturales agnoverint, et signa mitigationem subierint.

In dysenteria curanda, ad enemata, summo cum commodo, ni medici quidam falluntur, confugiendum est; quippe quæ et intestina facile emolliant, eluantque, et superficiem co-

rum internam substantiis oleosis mucilaginosisque bene oblinunt. Ad tenesmum torminaque compescenda, haud raro quidem valent. E substantiis lenissimis, decocto, videlicet lini; amylo; jusculo ovillo, bovinove; gummi mimosæ niloticæ solutione, secundum artem præparentur. Tenesmo ægrum urgente, tincturæ opii guttæ vel paucæ vel plures, pro signi violentia, enemati ex amylo confecto, instillari debent.

Vices veruntamen catharticorum, clysmata, stadio morbi primo potissimum, neutiquam præstant; tubusque in rectum sæpius introductus, intestinum hocce, male irritat excoriatque.

Emetica.—Causâ contenta ventriculi prava evacuandi, inter initia morbi potissimum, emetica in usum vocare liceat. Hæc autem e re ægri magis erint, si, et systematis reactio præter modum augetur, et cutis callida aridaque evadit. In dysenteria veruntamen idiopathica, plenæ vomitiones, aut rarius necessariæ, aut caute adhibendæ sunt, propterea quod, violentiâ ad vomendum nisûs, vel intestinorum proclivitatem, ad contractionem spasmodicam

subeundam, vel canalis hujusce inflammationem male promovent.

Siquando, ventriculo male se habente, emeticum revera indicatum sit. Tartris antimonii et potassæ, partitis vicibus, me judice, adhiberi debet; medicusque voti compos certius erit, si remedium in ventriculo aliquamdiu retinetur, tandemque effectus debitos edit.

Pulverem callicoccæ ipecacuanæ, tartritemque antimonii et potassæ, emeticis aliis omnibus, in hoc morbo curando, ne invite quidem antepono: Medicamenta etenim hæcce eximia rite gnareque adhibita, munera et emetici, et cathartici, et etiam diaphoretici, leniter præstant. Dosibus igitur parvis sæpiusque repetendis, adeo ut pylorum ante vomitum quam excitaverint transeant adhibeantur, nisi si stomachus onere gravatus, potissimum laborat.

Oxydum antimonii vitrificatum cum cera, in dysenteria medenda, ob vires emeticas quæ in eo insunt, olim laudibus efferebatur. Inter medicos veruntamen hodiernos, propter vires effectusque incertos ejus, in desuetudinem ni fallor, plerisque in casibus abiit.

Opium.—Quod ad usum antispasmodici hujusce præstantissimi, in spasmis, qui intestina dysentericorum adeo gravant, sublevandis, vero attinet, medicis parum idem animus est. Scriptores de re medica plerique nos hortantur, ut in stadiis morbi primis ab eo sedulo abstineamus.* Alii autem aliter sentiunt. Ventre quidem prius iterum iterumque catharticis debitis purgato, opiata, vespere potissimum adhibita, ægrotis sæpius admodum proderint. Somnum afferunt, doloresque ægros per noctem utpote tenentes feliciter sopiunt, causâque tormina gravissima compescendi, opium præ remediis aliis omnibus indicare videtur.

* "I have always looked upon it," inquit Zimmermannus, "as dangerous to give opium in dysentery, before the "fuel which feeds the disease is burnt out." "*Si adstringen-*" *tia et opiata*," ait Huxamus, "*praepostere dantur, mox gra-*" *vissima accedunt tormina, stomachi aegritudo, singultus,* "*aphthæ, tandemque intestinorum sphacelus, quem mors cito* "*excipit.*" Cullenus ipse, qui opio in hoc morbo potissimum nititur, confitetur "that by occasioning an interrup-" tion of the action of the small guts, it favours the constric-" tion of the colon, and thereby sometimes aggravates the "disease," &c. Vid. First. Lines, &c. vol. ii. p. 59. Vid. etiam Lieutaud. Bianch. Pringel. et alios.

Remedium hocce, et in dysenteria, et in morbis aliis diversis medendis, Sydenhamum Hippocratem Anglicanum laudibus summis accumulasse, nullum in operibus ejus versatum latet. Laudano suo liquido fidem maximam habuit, medicamentumque hocce solum ad morbum debellandum satis valere, strenuissime contendit. Eo tempore, medici haud pauci præjudicio erga hoc remedium eximium abripiebantur. Sydenhamus vero observator optimus acutissimusque vires salutiferas quæ inei sane insunt, felicissime invenit; gratiasque Deo Omnipotenti, ob beneficium tale insigne, eloquentiâ summa vel potius oratione ad divinum efflatum quodammodo pertinente agit. Verba auctoris dissertissimi, quibus, flumine ingenii potestates virtutesque fere cœlestes huic remedio attribuit ad calcem paginæ citare lubet.*

---

* "Et prefecto," inquit medicus hicce facundus, "Et "prefecto non hic mihi tempero, quin gratulabundus ani- "madvertam, Deum Omnipotentem παντων δωτηρα εαων non "aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis "par sit, vel eadem efficacius extirpet, humano generi, in

Viribus attamen alvum constringendi, quæ in opio procul dubio insunt, rite obviam eundum est.

" miseriarum solamen, concessisse, quam sint *Opiata* Medi-
" camenta scilicet, ab aliqua *Papaverum* specie desumpta.
" Et quamlibet sint nonnulli qui credulis persuadere velint,
" omnem fere Narcoticorum, *Opii* præsertim ipsius virtutem
" ab artificiosa ac debita, quam soli adhibent, præparatione
" pendere; qui tamen experientia judice, certaverit, et
" tam simplicem succum a natura oblatum, quam ejus
" præparata cum diligenti observatione in usum frequenter
" revocaverit, nullum fere discrimen intercedere comperiet,
" et mirandos illos effectus, quos edit, nativæ ipsius plantæ
" bonitati atque excellentiæ, non vero artificis polidædali,
" sollertiæ deberi certo sciet. Quinimmo, ita necessa-
" rium est in hominis periti manu organum, jam lauda-
" tum Medicamentum, ut sine illo manca sit ac claudicet
" Medicina; qui vero eodem instructus fuerit, majora præs-
" tabit, quam quis ab uno Remedio facile speraverit: Rudis
" enim sit oportet, et parum compertam habeat hujus medi-
" camenti vim, qui idem sopori conciliando, demulcendis do-
" loribus, et Diarrhœæ sistendæ applicare tantum novit, cum
" ad alia plurima, gladii instar *Delphici* accommodari possit,
" et præstantissimum sit Remedium Cardiacum, unicum pene
" dixerim, quod in rerum natura hactenus est repertum."
Hactenus restitutor artis Apollolineæ sagacissimus facundis-
" simusque." Vid. Oper. Syden. p. 186. Edit. Leid.

Extractum Hyosciami viribus et anodynis et leniter laxantibus gaudet, ideoque effectus, in torminibus dysentericis sedandis, bonos præstare videtur.

Acidum sulphuricum aromaticum, *olea volatilia liquores mucilaginosi tepidi*; decoctum videlicet *Hordei Distichi*, quo fructus pruni domesticæ coctus est, inter cathartica libere sumpti, ad tormina compescenda, sæpius haud mediocriter valent.

Aquæ calcis, *infusique florum anthemidis nobilis* vires, ad tormina obtundenda, sunt qui nobis de meliore nota commendant. Donaldus Monroius, M. D. aquam calcis cum lacte mistam, interdum cum commodo; interdum vero re infecta præscribebat. Cl. Pringelium infusum chamæmeli aquæ calcis haud pœnituit anteferre. Fomenta ex hoc infuso, theave ex chamæmelo facta, præ remediis aliis omnibus, votis medici hujusce expertissimi responderunt; viresque infuso huicce ad dolores mitigandos, juxta opium inesse, Zimmermannus haud inexpertus nos rite docet.

Panni lanei oleo terebinthinæ purissimæ succidi abdomini applicati, proque re nata renovandi beneficium, Gulielmus Irwinus, M. D.

emunctæ naris revera homo, heu! fato diro ante diem ereptus, in libello ejus eximio "*De* "*morbis in Sicilia grassantibus*" luculentissime sane descripsit.

Dolore abdominisque distensione urgentibus, hirudines summo cum commodo, ventri sæpius adhibentur.

Venæsectio.—Quin et, causâ actioni intestinorum inordinatæ obviam eundi, in conditionibus corporis plethoricis potissimum, morbo e frigore corpori applicato ortum utpote ducente, ad phlebotomiam pro signorum violentia rite confugiendum est, propterea quod, venâ rite, matureque pertusa, proclivitati et ad inflammationem, et ad gangrænam intestinorum, occurrere sæpius medicum penes est.

Medicis recentioribus, de sanguine in dysenteria mittendo, eundem animum minime esse, facile agnosco. Horum quidem complures sanguinis in hoc morbo detractionem pleno ore improbant, quippe quæ, hisce judicibus, mala in cumulum semper augeat: Alii autem haud pauci, in dysenteria medenda, venæsectionem pluris faciunt.

Sydenhamum eximium nunquam non laudandum, se, medicamentis aliis omnibus in

usum frustra adhibitis, quendam dysenteriâ cubantem venæsectione sanasse, memoriæ prodidisse, observare liceat.*

Huxamus, et ingenio acuto sane præditus, et in dysenteria probe exercitatus, de commodis ex sanguine in hoc morbo misso oriundis, edisserens, verbus sequentibus utitur: "*Ut ut* "*fuerit, aderat semper febris plus minusve, san*-"*guinem ideo plerumque, incipiente morbo detra*-"*hi curabam, ne gravior foret intestinorum in*-"*flammatio undique, acerbiora tormina, certior*-"*que demum gangræna.*"†

Sanguinis detractionem, in dysenteria curanda, Donaldo Monroio laudatam habemus, veniamque mihi datum iri spero, si verba medici hujusce experti ipsissima, apud calcem paginæ legenda citaverim.‡

---

* Vid. Syd. Oper.

† Huxham *De Aere et Morb. Epidem.* tom. ii. p. 19.

‡ "When the patients were strong, and complained of "sharp pains of the bowels, attended with a fever, we used "the lancet freely; nor were we discouraged from bleeding "in the beginning, by the low quick pulse which often at-"tended the disorder; and we frequently found the pulse

Verumenimvero, quandoque morbus vel formam putridam induerit, vel ægri vires corporis multum fracti fuerint, sanguinis detractionem prorsus contra indicatum esse, non inficias ibo. Quin immo, morbus de quo disputatur, vires suas noxias multis in exemplis citius ostendit, tumque venæsectio aut nunquam aut rarissime ægroto proderit.

Quod ad quantitatem sanguinis detrahendam vero attinet, medicus, viribus et habitu corporis ægrorum, signorumque inflammationis vehementiâ rite pensitatis, ipse judicet. Plerisque autem in casibus venam semel tantummodo secari velim.

Pediluvium, balneumque tepidum pro dysenteria ægrotanti haud raro multum facient. Hoc quidem commode adhibitum applicationum aliarum quarundam vice, sæpius, ni fallor, bene fungetur, quippe quod superficiem externam rite detergeat; abdomineque postea laneo

---

"rise as the blood flowed from the vein. But when they "were low and weak, without much pain and fever, and the "pulse was soft, we were more sparing of the vital fluid." Vid. Monro *On Disease*, &c. p. 68. Vid. etiam Pringel. Duncan on Dysent. Epid. Lond. 1769, a Monroio, citat. et alios.

nitido involuto, ægro sæpius optime succuritur.

Quin et, abdomen ægroti balneo loti cylindro laneo lato utilissime circumcingitur; cylindroque hocce (Anglice *bandage*) æger a morbi initio, haud parvo cum commodo utetur; quippe qui, et regionem abdominalem, nisu inter desidendum violento, oppressam bene sustentet, et relaxationem abdominis superficiei illam inferat, quæ ad irritationem intestinorum morbosam tollendam optime valet.

II. VIRES ÆGROTIS RESTITUERE MEDICUS CONETUR.

Corpusque totum canalem alimentarium potissimum roboret medicus oportet.

Causâ indicationem hancce secundam absolvendi, ratio ad victum potissimum haberi debet.

Diæta.—In dysenteria præ morbis fere omnibus aliis, debilitas ægrotantem citissime opprimit. Hinc ratio patet quare, vires vitæ alimentis tonicis mucilaginosisque sedulo sustinendæ sunt.

Inter hæc *tapiocam;* panem cum prunis coctum; oryzam cum uvis passis; poma mitia; citri aurantii fructus recentes; vitis viniferæ fructus siccos; fraga; fructusque maturos omnes; pulmentum oryzæ; jusculum pullinum, enumerare lubet, quippe quæ, et vires ægri probe sustentent, et intestina roborent, demulceantque. Gregorio nostro teste fide dignissimo, vegetabilia recentia cocta; *spinacea,* videlicet, *brassica florida, pastinaceæque sativæ,* libere sumpta ægrum convalescentem ad sanitatem citius reducunt.*

Cl. Tissotius ex eadem familia undecim dysenteria semel laborantes, sibi ante oculos versatos fuisse, nos certiores facit. Ex his novem fructus maturos libere sumserant "*et* "*furent bien gueris.*" Matronæ vero cuidam salutem vilius emptam in contemptu habenti, aut scientiæ medicæ vitam debere, aut secundum artem fatum obire, sententia stetit, ideoque et sibi ipsi et alteri mortem conscivit.†

* Aud. Prælect. de Med. Pract. J. Greg.

† Vid. Zimmer. de la Dysent. Tissot. Avis au Peuple, sect. 32, 340, et alios.

Medicamentis aliis incassum adhibitis, dysenteria cubantibus, fructuum maturorum vitis viniferæ fructûs siccati potissimum sæpius succurritur.*

Quin et, cibi ejusmodi concoctu faciles canalem alimentarium ad munera sua fungenda adhuc parum valentem, ne male quidem onerant. Serum lactis; aqua hordei distichii acidula; decoctum hordei, avenæve sativæ cum tamarindis; aliaque similia, pro potu sumpta ægrotis proderint; cæteris autem omnibus, serum lactis haud me pœnitet anteponere.

Tonica.—Quod ad medicamenta tonica revera pertinet, stadiis morbi primis nocere potius quam prodesse videntur, eoque magis quod vel proclivitas ad inflammationem summa adest, vel intestina inflammatione revera corripiuntur. Morbo veruntamen diutius instante, typumve multiplicem sibi vendicante; typho videlicet, febreve intermittente, sese ei comitem præbente; viribus ægri necnon multum prostratis, cinchona officinalis, medicis haud paucis ex-

---

* Vid. Zimmer. pp. 111, 133, &c.

pertis testibus, dysenteriâ detentis, haud raro magnopere prodest.

Cl. Pringelius cinchonæ cum aristolochiæ serpentariæ radice conjunctæ virtutes, typho graviore morbum nostrum male comitante, certas et exploratas habuit.* Lautterus se quam primum febrem declinare cæpisset, lateritiumque in urinam subsidisset; etiam si remissiones et inordinatæ fuerant, et brevi perstiterant, ad usum cinchonæ sub forma pulveris adhibitæ, nunquam non confugisse, nos certiores facit, et sedes liquidas et rariores evasisse, et tormina tenesmumque, remediis aliis nullis demulcenda, mitigationem insignem; semunica corticis vix ac ne vix quidem sumpta, subiisse, scriptor medicus hicce nos rite docet.† Cleghornius, Cullenus, scriptoresque medici alii, remedii hujusce vires, satis compertas usu, experientiâ habuerunt.‡

---

* Vid. "Observations," &c. pp. 274–5.

† Vid. "*Histor. Med. Bianch.*"

‡ "The great similitude," ait Cleghornius, "the great "similitude which there is in many respects between tertian "fevers and dysenteries, induced me frequently to make use

Cortex attamen Peruvianus, in dysenteria cum mucilagine opioque conjunctus, plerumque adhibeatur oportet, propterea quod per se præscriptus, et viscera læsa sæpius male irritat, et, morbo inclinato potissimum, alvum justo fusius ducit.

Siquando remedium hocce eximium calorem inquietudinemque præter modum auxerit, ab usu ejus illico abstineatur.

Crotenis eleutheriæ corticem in dysenteria medenda, scriptores diversi laudibus summis efferunt; medicisque Britannicis haud paucis præ cinchona in morbo nostro curando arridet; corticem veruntamen huncce, tonicorum alio-

---

" of the bark in this last named disease. When the fever " and gripes were regularly exasperated, either every day or " every other day, at stated periods, it has often effectually " put a stop to both, especially if the exacerbation begun " with chillness, and terminated with sweats. At other " times, it removed the fever, the flux continuing without " much alteration." Auctor noster addit, " In some cases I " have given the bark merely with a view to prevent the " mortification of the intestines in the last stage of the dis- " temper; but I am sorry to say it was seldom so successful " as I could have wished." " *Observations on Epidemical " Diseases*," &c. pp. 255–6.

rum instar, stadiis in morbi primis, pro ægris neutiquam faciet.*

Vires fere specificas in dysenteria sananda cortici quassiæ simaroubæ revera inesse, morboque usu ejus, remediis omnibus aliis incassum adhibitis mederi, sunt qui contendunt; alvo prius rite subducta, corticis hujusce decoctum, dozibus ℥ ss. ad ℥ i. præscribitur. Effectus exoptandas in dysenteria sanguinea certius ac in morbo bilioso, simaroubam præstare, Degnerus dicit. Cl. Pringelius remedii hujusce virtutes experientia propria comprobatas habuit; corticem veruntamen, ægrotis, morbo ad finem vergente, supetias potissimum ferre, auctor noster libri ejus eximii lectores certiores facit. Quassia simarouba leniter agit, ægrosque minime angit.†

Vinum.—Viribus ægrotorum multum obrutis, stadiis morbi provectioribus utpote, scriptores medici haud pauci, vinum nobis de meliore nota commendant. Brocklesbius auctor eru-

---

* Vid. " *Memoires de l'Academie des Sciences*," a Paris 1719. Vid. etiam Don. Monr. M. D. " *Observations on* " *the Diseases of the Army*," et alios.

† Vid. " *Observations*," &c. pp. 281-2.

ditus, medicusque spectatus, libram vini rubri unam cum semisse, interdum etiam liberius dysenteriâ cubantibus indulgebat. Vino aquâ temperato aromata conjungere, medico huicce experto mos erat.* Tormina vinum sæpius graviora reddidisse Donaldus Monroius, M. D. auctor est. In hoc statu rerum, spiritum vini rubri Gallici rite dilutum, aquâque hordea mistum, vino substituebat.

Usum vini rubri, inter morbi initia potissimum, scriptores quidam culpant, quippe quod, ventrem male comprimat. Quin et, Zimmermannus medicique alii diversi, vina, spiritusque stillatitios omnes in stadio dysenteriæ quovis prorsus vituperant. Aromata vinumque, et irritationem viscerum periculosam promptissime gignere, et dolores, febrem, stranguriamque augere, Zimmermannus pedibus, manibusque contendit.

Medicis inter se, de commodis vino in dysenteria oriundis, hoc modo dissidentibus,

---

* Vid. " *Observations on the Diseases of Armies,*" &c. p. 119.

quis lites dirimere potest? Si mihi in arenam descendere liceat, vinum, debilitate superveniente, inflammationeque nulla existente, et moderatius utendum esse, et, ne intestina male stimulet, mucilagine quâvis plus minusve temperandum esse, suaderem.

Quod ad spiritus stillatitios quidem pertinet, hi, ventriculo vinum parum ferente, tantummodo in auxilium vocari debent.

Aromatica.—In hoc morbo medendo aromata ne mihi quidem multum arrident, quippe quæ, ob vires eorum stimulantes viscera magis irritent, ac firment.

Astringentia.—Quod ad astringentia in dysenteria curanda, revera pertinet, medici solertes vel plerique vel omnes, stadiis in primis morbi utpote, ab usu eorum plerisque in casibus, prorsus abhorrent, quippe quæ alvum constringant, materiæque acri, intestina et irritanti et convellenti egressum denegent. Sin autem sanguis copiosius dejiciatur, ad auxilium eorum commode confugiendum est. In hoc statu rerum, acidum sulphuricum sulphasve aluminis et potassæ in usum adhibenda sunt; sin vero ægrotus

hæmorrhagiâ passiva laboret, medicus potius ad cinchonam confugiat.

Absorbentia.—Si, dysentericus, morbo inclinato, ructibus acidulosis, cruditate in ventriculo laboret, auxilium ab absorbentibus rite petendum est. Diarrhœaque urgente, torminibusque sese comitem præbente, opium vel astringentibus, vel absorbentibus conjunctum, multis in casibus pro ægro faciet.

In Actis Academ. Natur. Curos. quidam Doctor Kellnerus cujusdam dysenteria cubantis historiæ, quem fustuarium violentum ad sanitatem redigit mentionem facit.* Darwinusque observantissimus ægrotantes dysenteria duos in Nosocomio Regio Edinensi hospitantes, qui post iram magnam, nisusque inter pugnam violentos insolitosque, citius convaluere, in commentariis retulit; morbumque huncce stimulo indusii lanei truncum corporis circumvestientis, solummodo, aut cohiberi, aut penitus sanari Zoonomiæ auctor ingeniosissimus nos rite docet. Vim sensoriam stimulis hisce diversis rite accumulatam, ad tor-

* Tom. ix. Observ. 20.

porem debilitatemque Dysenteriam comitantes debellandos, sæpius satis valere, Darwinus sibi persuasum habet.

Dysenteriam a diarrhœa sæpius exoriri, ante lectorum oculos, in historia morbi tradenda, supra posui, alvumque ægros sub exitu morbi haud raro exercere, hic loci insuper observandum est. Profluvio alvi huicce difficillime sane sæpius medetur, seduloque munus suum præstare, et corpus totum, et intestina potissimum ad sanitatem pristinam reducere, viribus summis nitatur medicus oportet.

Ad corporis munditias summas ratio sedulo habeatur, quippe quæ ad vires vitæ conservandas admodum valeant. Fœces igitur, sordesque aliæ, e conclavi ægroti quam primum removeantur, indusia stragulaque sæpius mutentur; circulatio libera aëri puro præbeatur, cubiculumque acido acetoso, acidove vegetabili quovis alio indies aspergi medicus jubeat.

Corpus totum; artus inferiores potissimum, a frigore humiditateque cautissime muniantur. Dysenteria recidiva typhum morbi graviorem sibi vindicans, a frigore humoreque

pedibus applicatis ortum ducens, iterum iterumque mihi, in regionibus cœlisque diversis militanti, ante oculos versabatur.

Subuculâ lanea, dysenteriâ refecti rite amiciantur, quippe quæ et cutem a frigore defendat, et halitum ejus, perspirationem videlicet invisibilem, summo cum commodo, multum intendat.

Signis morbi diversis feliciter sublatis, e dysenteriis convalescentes, exercitatione corporis leni; balneo frigido; victu regimineque viribus eorum accommodatis rite utantur: Alvus rite subducatur, ægrique ad mores vitæ solitos gradatim redeant, morbique causas exitantes, frigus potissimum, sedulissime evitent.

FINIS.